

444
Q. D. B. V.
DISSERTATIO
ANATOMICO PATHOLOGICA OCTAVA
EXPLICANS

PANCREATICAE
DIGNITATEM

ET
ACTIONEM
GLANDVLAE

QVAM
PRAESIDE
CHRIST. GODOFREDO
STENTZELIO

TORGAVIENSI
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE
AC FACVLTATIS MEDICAE IN ACADEMIA
VITEMBERGENSI ASSESSORE

DIE I. FEBRVARII A. MDCCXXVII
LOCO HORISQVE CONSVETIS

P. P.

IOANNES GOTTLIEB HOFFMANNVS

SVIDNICENS. SILESIVS

PHILOS. ET MED. CANDIDATVS

VITEMBERGAE

LITERIS CHRISTIANI ZIMMERMANNI

ACAD. TYR.

Anat.

B.

256,44

402

I. **V**berior errorum farrago in Pancreatis se offert Anatomia; alii BARTHOLINVM, VIRSVNGVM, MAVROCORDATVM, HIGHMORVM et LINDANVM sequentes pro melancholici officina humoris Lienem habent, eidemque Pancreaticam Glandulam, tanquam dicti receptaculum succi, quod ad felleae et urinariae modum uesicae, tum recipiendae, tum euacuandae ex Liene redeunti atrae bili inseruiret, attribuunt; alii fauentes BACKIO et FOLIO, ad Pancreas, per canalem illius duodeno infertum intestino, chylum deuchi opinantur, ductumque pancreaticum cum DOMINICO MARCHETTI lactearum principium uenarum constituunt; nonnulli HORSTII approbantes opinionem, peculiarem fermentantem in Pancreate succum elaborari, ac uentriculo communicari, arbitrantur; nonnulli VESALIO et pluribus ueterum assensum praebentes, praefens uiscus uasculoso-glandulosum uenarum atque artiarum distributioni dicatum, ipsique uentriculo ad puluinaris similitudinem substratum iudicant; multi sentientes cum VESLINGIO, RIOLANO, ASELLIO et LICETO acre chyli excrementum e corpore reiiciendum, quidam cum WARTHONIO, superfluas neruei particulas succi fecerni atque excerni, existimant; Multi VELTHVSII amplectentes sententiam, uiscidae separationi pituitae, quidam cum SYLVIO, REGNERO de GRAAF, BRVNNERO, acidi secretioni humoris nostram glandulam conglomeratam assignatam esse, affirmant.

II. Lympha uero tenuis intra ligatum ductum pancreaticum illiusque principium stagnans, modo subsalsa, modo subacida, modo acrior, modo omni destituta sapore; defectus ductuum ex Pancreate ad uentriculum abeuntium, succosque huc deuehentium; Lien nullum, praeter id, quod sanguinis praestat circulatio, cum Pancreate, commercium fouens, nullosque secernens, nullosque ad pancreas abducens humores; denegatus chyli in Pancreas ex intestinis transitus, ocluso, descendente chylo, per plicas intestini carnosas, pancreatici orificio ductus, nullusque chylus, in Pancreate, uiuo post pastum animante aperto, apparens, allegatas modo opiniones uel penitus absonas atque anatomicae contrarias autopsiae, uel non nisi adiecta admittendas esse limitatione, in apricum deducunt.

III. Diuersam dyscrasiae indolem haud perpendisse uidetur NEEDHAM temperamentorum occoecatus praerudicio, negans, pancreaticum in statu naturali succum esse acidum; a uero aberrant pariter SYLVIVS et SVVALVE, acidum semper sal in dicta limpha deprehendi affirmantes, qui ad discrepantem sanguinis genium, de quo omnes hinc secreti participant succi, non respexerunt, nec gustum consuluerunt, quo saepius falsum, interdum acidum, nonnunquam austerum, aliquando amaricantem, non

IV. Corruit ita destructo limphae pancreaticae principio acido, Syl-
uiana efferuescentia, chyli promouens perfectionem et separationem.
Corruit cum acido uniuersali, uniuersalis in acido hic constituta morbo-
rum origo; docet idem ratio, docent idem iam allegata argumenta, do-
cent idem denique obseruationes anatomico-pathologicae. Hac ratione
anorexia et bradypepsia cum aliis symptomatibus, a SYLVII discipulis
Pancreatis adscripta uitio, a corrupto ortum trahebant hepate, pancreate o-
ptime constituto, uti cadaueris demonstrabat sectio, conf. DIEMERBROE-
CKIUS *Anat. l. 1. c. 9.* BONETVS *Anat. Pract. l. 3. S. 1. obs. 15. et 16. p.*
m. 726. et 727.

V. Animus uero mihi non est, ab omni, Pancreas cum illius limpha, la-
be uendicare; Latet haud raro in eodem pertinacissimorum et atrocissimo-
rum fomes morborum; tam acido ac tam corrosiuo succum pancreaticum
sale fuisse infectum, ut bili in intestinis admixtus, deprauatam nihilominus,
sapore impense acido, indolem manifestauerit, transeuntemque inquinan-
do chylum, simili cacochymiae atque intestinorum erosioni ansam suppe-
ditauerit, monstrat BONETVS *Anat. Pract. l. 5. S. 7. obs. 155. p. 626.* Eadem
et plura adhuc mala ex alcalinarum excessu particularum in Pancreatis
fero expectanda; Nimia pariter eiusdem uisciditas, et tenuium, uel fe-
rosarum omnino defectus particularum feracissima multarum infirmi-
tatum mater existunt. Si enim pancreatis succus sit uiscidior, uel peni-
tus deficiat, chylus haud sufficienter dilutus, fit crassior, et subsistens in-
tra meseraicarum angustias glandularum, duris praebet materiam tumo-
ribus, uid. LOWERVS *tr. de Corde c. 5.*

VI. Pancreas quippe est pars tubulosa et glandulosa, caninam figura
referens linguam, plana gaudens superficie, et subrubro praedita colore,
prope primam lumborum uertebam, sub fundo et postica uentriculi par-
te sita, ac transuersim a duodeno uersus Lienem protensa, duos tresue latitudi-
ne, ac nouem uel decem longitudine aequans digitos, cum Liene, duodeno et
mesenterio connexa, ex arteriis, uenis, neruis, uasis lymphaticis atque innume-
ris hincprogredientibus glandulis, uarum instar in racemo, laxe cohaerentibus
composita, limphae, chyli diluentis et resoluentis destinata separationi, quae
per peculiarem huius glandulae ductum in duodenum corruatur intestinum.

VII. Quod autem in hac machina uasculoso-glandulosa limpidus, gela-
tinofus, salinis diuersae moleculis naturae imbutus liquor separetur, atque in lac-
ga ad duodenum deriuetur intestinum quantitate, SYLVII, REGNERI de
GRAAF, et BRVNNERI experimenta confirmant, qui tum applicata cannula
et cucurbitula, collegerunt limpham pancreaticam, tum ligato ductu pancrea-
tico, uberiorem humoris tenuis quantitatem intra uinculum et pancreas colle-
ctum fuisse, obseruarunt.

VIII. Non tamen censendum, ipsas glandulas minimas, ex quibus tota
ferme praesentis compages uisceris constat, esse officinas atque instrumenta,
quae secernant uel conficiant limpham ad intestina deriuandam; ex tomentosis
arteriarum extremitatibus, ex poris uasorum sanguiferorum glandulas ambien-
tium atque in eas abeuntium, separatur, separata glandulisque infusa magis diui-

ditur ac resoluitur, quo tenuior et limpidior ad chylum redeat. Haec etiam est ratio, cur iam dictis partibus una cum uasis sanguiferis oppilatis, obstructis scirrhoque oblesis, succus pancreaticus uel penitus deficiat, uel uiscidior red-
datut, aut alio capiat uitium modo, quae deinceps appetitus prostratus, tabes, obstructions alui, infarctus uiscerum comitantur; allegata apositiam ratione et uomium, a pancreatis exortum scirrho, refert BONETVS *An. Pr. l. 3. S. 1. obs. 16. p. 728.* Pancreas totum in lapideam conuersum substantiam PANAROLVS *Pentecost. 1. obs. 46.* in uetula deprehendit, quae continuum, post prandium et coenam, uomitum perpeffa, subtracto omni corpori nutrimento, in atrophiam incidit, eaque perit.

IX. Acrior autem lymphae illius constitutio, miasmate purulento, ob pancreatis exulcerationem, imbuta, uellicatis neruis, quos a pari uago atque intercostali accipit pancreas, ad intestinorum deducta tubum, chyloque communicata, tum spamis hic primum excitatis, et deinceps ad totum neruofum propagatis systema, tum toto simili acrimonia infecto sanguine, epileptiae, icterico, melancholiae aliisque similibus periculosis morbis occasionem et fomitem praebet, testimonio HIGHMORI *corp. hum. Disquis. Anat. l. 1. part. 11.* WARTHONII *Adenograph. c. 12.* BONETI *Anat. Pract. l. 3. S. 13. obs. 19.* RIOLANI *Anthropol. l. 2. c. 16.*

X. Quamquam modo commemoratis permotus firmiter mihi persuasum habeam, multarum saepius infirmitatum, atque intermittentium nonnunquam originem febrium in Pancreate latere, minime tamen REGNERO de GRAE *tr. de succ. Pancreat. Nat. atque usa c. 11.* assensum praebere possum, afferenti: omnium febrium intermittentium mineram et causam in solo Pancreate quaerendam atque inueniendam esse; contrarium quippe docent illi, qui demortui, pancreas male habuerunt constitutum, febribus penitus in uita immunes intermittentibus, diuersus, quo dicti morbi excitantur, modus, ac discrepans, qua ad eosdem profligandos utimur, medendi methodus.

XI. Non tanta etiam, quam eidem attribuebat dictus autor, pancreaticae Dignitas glandulae, postquam BRVNNERI edoctus experimentis eandem canibus absque periculo uitae excindi cognoui; quam examinans operationem optimum factu iudico, pancreas uulneratum, cum denegata hic ob profunditatem, medicamentorum applicatio, subinde reperenda, succorum extrauasatio, atque in laxiore huius substantia metuenda putrefactio, certam et praematuram afferant mortem, decenti adhibito uinculo, resecat.

XII. Praestat denique ad conseruandam bonam Pancreatis succique pancreatici constitutionem, frequenter diluentia cum saponaceis adhibere; Quinimo, purgantia, quandoque mercurialia, aliaque generosiora purgantia et resoluentia, phlegmagoga a Medicorum nuncupata uulgo, ad uitream, quae hic haud raro generatur, pituitam comminuendam, attenuandam atque euacuandam, uel debitam dieti succi fluiditatem conseruandam, exhibere; Sin uero feruor et humorum hic peccet tenuitas, reiectis prioribus, ad propria et specifica peccantis remedia dyscrasiae confugiendum.

